



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

§. 3. Monialibus propria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

§. III.

Monialibus propria.

I. Episcopi etiam ut Delegati Apostolici Claustrum Monialium restitui & conservari procurent, juxta Constitutio- nem Bonif. VIII. quæ incipit: Periculoso. in 6. de statu regul. in obediens & contradictores censuris aliisque pœnis etiam invocato brachio sæculari compe- scant. Sess. 25. de reg. c.

II. Quod auxilium ut præbeant, monentur Principes & sub excommunicatione ipso facto incurrenda Magistratibus sæcularibus injungitur. ibidem.

III. Nemini Sanctimonialium post professionem licet exire à Monasteriis etiam ad breve tempus, nisi ex causa Episcopo approbata. ibidem.

IV. Ingredi autem intra septa monasterii nemini cu- cunque conditionis, sexus, ætatis sine Episcopi sive Superio- ris licentiâ in scriptis obtentâ, sub excommunicatione ipso facto incurrendâ. ibidem.

V. Dare autem tantum Episcopus possit, vel Superior debet licentiam in casibus necessariis, nec alius possit wig- cujusvis indulti. ibidem.

VI. Curent Episcopi & alii Superiores, ut Monasteria Sanctimonialium extra mœnia constituta ad nova vel antea qua Monasteria intra urbes & oppida reducantur, etiam si vocato auxilio brachii sæcularis. ibidem.

VII. Abbatisa, Priorissa & quocunque nomine Præposita, eligatur non minor annis 40. & quæ octo annis post professam professionem laudabiliter vixerit. ibidem. c. 7.

VIII. Si talis non reperiatur, ex alio ejusdem Ordinis Monasterio eligi possit; si id incommodum Superiori videatur, ex iis, quæ in eodem Monasterio annum trigesimum ce- cesserint, & quinque saltem annis post professionem laudabi- liter vixerint eligatur. ibidem.

IX. Duobus Monasteriis nulla præficiatur; quæ duo vel plura obtinet, uno excepto, cætera intra sex menses re- gnent, aliàs post id tempus omnia ipso jure vacant. ibid.

X. Qui electioni præest Episcopus, sive alius Superior claustra non ingrediatur, sed ante Cancellorum fenestellam audiat vota, vel accipiat. ibidem.

XI. Monasteria quæcunque Monialium S. Sedi immediatè subjecta, etiam Capitula S. Petri vel S. Joannis, ab Episcopis ut delegatis Apostolicis gubernentur. Quæ verò à deputatis in Capitulis generalibus vel aliis Regularibus reguntur, eis relinquuntur. *ibidem. c. 9.*

XII. Admoneantur in Constitutionibus Sanctimonialibus, ut saltem singulis mensibus confiteantur, & communi-ent. *ibidem. c. 10.*

XIII. Præter Ordinarium Confessarium alius extraordinarius bis aut ter in anno eis offeratur, qui omnium confessiones audire debeat. *ibidem.*

XIV. S. Christi Corpus intra chorum vel septa Monasterii Monialium extra publicam Ecclesiam non asservetur, non obstante privilegio &c.

XV. Puella habitum Regularem suscipere volens major sit duodecim annis, antè eam non suscipiat, nec postea ipsa vel alia professionem emitat, prius quàm Episcopus exploraverit, vel eo impedito ejus Vicarius, vel aliquis eorum sumptibus deputandus, ejus voluntatem, libertatem, qualitatem. *ibidem. c. 17.*

XVI. Cujus professionis tempus ne Episcopus ignoret, Præfecta Monasterio eum ante mensem moneat, quod si non fecerit, quamdiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit. *ibidem.*

XVII. Anathemati subijcit S. Synodus omnes, quomodocunque cogentes aliquam Virginem vel Mulierem, invitam, præterquam in casibus jure expressis, ad ingressum, habitum vel professionem cujuscunque Religionis; item consilium, auxilium, favorem dantes, vel scienter quoquo modo tali actui præsentiam, consensum, vel auctoritatem interponentes. *ibidem.* Item sanctam virginum & aliarum mulierum voluntatem voti accipiendi, vel voti emittendi quocunque modo sine justa causa impediens. *ibidem. c. 18.*

XVIII. Eaque omnia, quæ ante professionem, vel in ipsa fieri oportet, serventur non solum in Monasteriis subjectis Episcopo, sed etiam in aliis quibuscunque, exceptis mulieribus, quæ Pœnitentes ac Convertitæ appellantur. *ibidem.*